



THEOREMATA DE THEO-
LOGIA IN GENERE, PROLEGO-
MENON LOCO PRÆMISSA.

I.



Theologia est Sapientia rerum divinarum.

2. Dicitur ex græco, quasi DEI sermo, idq; vel ratione Efficientis, quod sit à DEO 2. Pet. 1. v. 21. vel ratione objecti, quod de DEO agat, 1. Cor. 2. v. 6. 7. vel ratione Formæ, quod modo, seu stylo prophætorum auctorum non devenerit ad nos, citatis jam ante locis, verum ipsius DEI, unde ἀμαθεῖς καὶ ἀσηκίτοι dicuntur illi, qui hunc stylum non observant, sed omnia in suam detorquent perniciem, 2. Pet. 3. v. 16.

3. Theologiæ vocabulum in abstracto est ἀγραφον, habet tamen sua singularia synonyma in sacris, dicitur enim Doctrina secundum pietatem; 1. Tim. 6. v. 3. Sapientia supernè veniens; Jac. 3. v. 15. Intelligentia spiritualis; Col. 1. v. 9. In concreto verò est vocabulum ἔγγραφον, ut demonstrat inscriptio Apocalypseως.

4. Notum autem hoc nomen, & usu jam receptum fuit apud Ethnicos, ut probat Lactantius l. de ira DEI cap. 11. nam ii, qui de Diis gentilibus, eorumq; cultu agebant, dicebantur Theologi. Sic & Eusebius Cæsariensis l. 1. de præparatione Evangelica, c. 7. enarrat, qualis fuerit prisco ævo diversarum gentium Theologia. Item Plutarchus de defect. orac. scribit οἱ Δελφῶν θεόλογοι, Delphorum Theologi. Utitur hoc vocabulo etiam Cicero l. 3. de Natura Deorum: Joves tres numerant ii, qui Theologi nominantur. Occurrit & apud Platonem l. 3. Polit. οἱ τέττοι περὶ θεολογίας. Aristoteles Metaph. l. 10. c. 6. θεολογικὴν ἐπιστήμην vocat præstantissimam τῶν θεωρητικῶν ἐπιστήμων. Idē in libro de Mundo utitur vocabulo θεολογεῖν.

A

Hujus